

Alte Drucke

**PHILIPPI || MELANCHTHONIS || Grammaticae Graecae ||
EPITOME || AD PVERILEM INSTITVTIO=||nem et captum
accommodata.|| Adiecta sunt verba anomala,|| de ...**

Melanchthon, Philipp

Wittenberg, 1600

VD16 ZV 22808

ILLVSTRIBVS ET GENEROSIS DOMINIS, D. OTioni Comiti á Mansfelt Baroni in
Heldringen, & D. Ernsto comiti ab Honstein, Domino in Lora & Klettenburg suis
Dominis vera obseruantia colendis, S. D.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the Head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149459

ILLVSTRIBVS ET

GENEROSIS DOMINIS, D. O T-
ioni Comiti à Mensfeld Baroni in Heldringen, & D.

Ernesto comiti ab Hohnstein, Domino in Kara

& Kettienburg suis Dominis verè

obseruantia colendis,

S. D.

SAEpenumero miratus sum, quid causæ sit,
cur vtilissimus liber Grammaticæ Græcæ
Philippi Melancthonis non perinde in
Scholis nostris prælegatur, vt latina eius
Grammatica certatim vbique ferè discen-
tibus proponitur. Id enim non dubitans con-
firmare possum, nihil in hoc genere ad pue-
rilem captum accommodatius, nihil ad or-
dinem discendi aptius, nihil dilucidius, ni-
hil denique vltimo ipso vberius esse scriptum.
Itaque grauius interdum tuli, non ad vnā
hanc Grammaticam pueros aduersari, sed
tot tamque dissimilibus libellis eos distrahi
atque onerari, dum aliis aliam Grammati-
cam in alia atque alia Schola audire cogitur.
Etsi enim ars ipsa vna est & eadem vbique
& semper: tamen tradendi modus mirè
variat: eaque diuersitas illud incommodi
habet, vt cum in aliam Scholam pueri mi-
grant, vbi alius Grammaticæ libellus præle-
gitur, velut hospites in ignota regione obet-
rent.

Vt nihil interim de iactura dicam, quam
faciunt discentes eiusdem tractionis libellis
pluri

pluribus emendis. Verum cognoui tandem
id potissimum in causa esse, cur Philippi
Melanchthonis liber non statim initia lin-
guæ Græcæ, discantibus explicari possit,
quod in aliquibus partibus accuratius aliqua
limar, & latius persequitur. Itaque fit ut qui
primum breuioris, magisq; compendiarie
viæ causa libellus deligitur, idem quoque
postea deinceps fere vsurpetur. Ut igitur in
hac parte puerilibus studiis consuleretur,
communicaui cum Domino Ioachimo Ca-
merario, communi præceptore, & loco pa-
rentis habendo, qui statim significauit, pro-
bari sibi delatum à me studium, hortatusque
est, ut ex Grammatica Philippi conficerem
eiusmodi Epitomen, qua præparari discen-
tes in Scholis ad percipiendas literas Græ-
cas possint.

Quamobrem resecui nonnulla per totum
librum istum Grammaticū, & ea tantū excera-
psi, quæ institutioni primæ, *ὡς ἐν στοιχειω* con-
ueniunt, & absq; impedimento, atq; dif-
ficultate omni incipientibus tradi possunt.
Adieci autem seorsim verba *Ἀνομάλα*, quæ
in conspectu esse oportet Græca discantibus
seper, ne ex alijs libris ea mutuari necesse sit.

Tum de Syntaxi etiam nonnulla præce-
pta addidi, illa præsertim, quæ à Latina dis-
crepant: nihil opus esse existimans regulas
omnes, quibus Græca cum Latinis conue-
niunt, operose inculcare.

Hæc omnia profutura esse adolescentum studijs nihil dubito. itaq; fore deinceps spero, vt Philippi Melanchthonis Grammatica Græca non minus, quàm Latina in Scholis pluribus vsurpetur: cum in eam nunc sit redacta formam, vt vsui esse incipientibus possit. Optandum autem est maxime, vnam hæc formam tradendi Græcas literas, quæ in nostri autoris Grammatica cōtinetur, in Scholis omnibus recipi atque seruari, vt ex vno libello initia discendi faciant pueri vbique, ne librorum & tractationis dissimilitudine, eorum industria distrahatur. Id enim profecto quod ante dixi experiri mecū atq; fateri credo multos, non parum obesse discipulis, si ad aliam Grammaticam eos aduerseri oporteat, quam ante in alia Schola audierunt. Cum igitur Domini Philippi Grammatica eiusmodi nunc sit, vt utilior nulla discendentibus Græcarum literarum elementa proponi possit, quid est, quod cum puero- rum incommodo alia prælegatur?

Vobis vero Comites generosi, & rectissimis studijs dediti, hunc præceptoris nostri communis libellum de nouo adornatum & expressum non immerito dedico. Omnino enim æquū est, vobis honori esse eas literas, quibus incumbitis, & ex quibus laudem atq; fructum industriæ quæritis. Nam id vobis propositū esse plane video, vt sermonis latini & Græci facultatem ad artium necessaria-

rum

rum doctrinam adiungatis, ijsq; sic mentes
vestras instruatis, vt satis ornati aliquando
ad magnorum munerum in vita civili fun-
ctiones accedere possitis. Ad quam quidem
rem cum neq; ingeniū, neq; vires vobis des-
sint, rectis studijs solummodo opus est, vt &
ad optatum finem via iusta contendatis, &
in cursu instituto sine impedimētis, fastidio,
& fatione progrediamini. Est autem
præsidium magnum omnis doctrinæ atque
sapientiæ in literis Græcis situm, vtpote quæ
pene solæ artium & disciplinarum fontes cõ-
plectuntur, & ad humanitatem mirè condu-
cunt. Atq; haud scio, an eruditionis verè fū-
damenta quisquā iacere possit, aut doctrinæ
laudē sibi vendicare, qui Græcas literas igno-
rat. Quocirca, adolescentes generosi, pergite
nauiter in cursu eo, quem teneris, & Græcæ
linguæ præsidio tanquam ala altera nixi ad
verā sapientiam penetrare studere. Postulat
id à vobis Deus omnium studiorum & actionū
nostrarum dispensator & arbiter, exigit be-
nigna voluntas parentū, efflagitat commu-
nis salus, quæ seruari non potest absq; eru-
ditorū opera, atq; industria. Ac vos quidem
incitare præter alia debet etiā generosa &
antiqua stirps, quæ in illustri loco posita, in-
dustriæ, virtuti & sapiētiæ quasi quidā stimu-
lus tributa est. Nec defuit vobis hætenus do-
mestica disciplina, plena virtutis & optimo-
rum exemplorū; tibi quidē Otto apud Patrem

primum generosum comitem à Mansfeldt,
deinde apud auunculum tuum, dominum
Guilelmum, Comitem à Suartzburg, in quæ
omnia ornamenta gubernatoris pij, & salu-
taris, Deus & natura cumulare contulerunt,
vt exèplum virtutis merito habeatur, quod
plurimi intueri & imitari debent. Tibi verò
Ernestæ apud patrem generosum dominum
Volcmarum Vuolfgangum, & nomine & ho-
nore verè illustrem, cuius fama & opinio sa-
pientiæ, liberalitatis, atq; industriæ magna
est apud omnes. Iam verò tu quidem Otto in-
clite in Ienensi Academia, Tu verò genero-
se Erneste in aula Coburgensi apud Illustri-
ssimum principem Saxoniae liberaliter omni
doctrina erudiris, qua informari & instrui
oportet eos, qui anteire cæteros autoritate,
industria & rerum vsu debent. Quocirca
cum omnia naturæ & fortunæ bona, & ad-
iumenta vobis suppeditata sint; nullo modo
cōmitteris, vt vobis ipsis defuisse videamini.
Faxit Deus, æternus pater Domini nostri
Iesu Christi, fons & dator omnis doctrinæ,
sapientiæ & felicitatis humanæ, vt studia
vestra præclarè cepta prosperè procedant,
& fructum copiosum ferant, Deo in primis
gratum, vobisque ipsis & alijs quam pluri-
mis vtilem. Valere. Datæ Erphordiae Calend.
Octob. anno supra millesimum quingentesi-
mum septuagelimo quarto.

Matthæus Dresserus.

H E N.